

Universitätsbibliothek Wuppertal

Sexti Julii Frontini, Viri Consularis, Quæ Exstant

Frontinus, Sextus Iulius

Amstelodami, 1661

Vorwort

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1185)

LECTORI S.



UÆ illustrando à me FRONTINO data sunt, paucis habe. Veterem Cod. MScum qui alter Arcerianus fuit, nobis suppeditavit vir Nobiliss. & Conjunctiss. PET.

HEIMBACHIUS, Serenissimi Electoris Brandenburgici Consiliarius ac Historiographus. Quem librum passim MScu nostrum laudamus, raro Arcerianum: optima & antiquissima nota exemplar, sed ab imperito literione descriptum. Ex eo, cum Scriverianis exaratis fermè consentiret, veteres lectiones quam accuratissimas eruimus; & non tam judicio nostro quam Latinitate probatas adoptavimus. Ad hoc veteri libro Parisiensi, qui instar chirographi fuit, usi fuimus; adeò in multis cum MSSis concordat. Primam fuisse omnium editionum, quæ exierunt typis procusa, nescio, an ausim adfirmare. Anteriorem certè non vidi. Prodiit autem anno MDLXIII. cum Vegetio & Solino. Textum ipsum quam accuratissimum exhibemus, lectionibus tamen ex conjecturâ minus receptis, aut aliorum auctoritate firmatis. Nihil autem hic, quod indubitatum est, adstruimus; cum inter Grammatici virtutes sit, ut ille ait, ALIQUA NESCIRE. Varias conjecturas Lugduno-Bataavorum ad nos transmisit vir optimus & incomparabilis JOAN. FREDERICUS GRONOVIVS; quas passim laudatas inseruimus. In Aquæductuum libello, cæterisque Fragmentis editionem Scriverianam sequimur, aut ejus editionis accuratissimas schedas, quas vir eruditissimus & humanissimus JOACHIMUS I. F. BORGESIVS, in Academiâ Groningana Professor, pro incomparabili suo in eruditos affectu nobis obtulit; adjunctis aliis, quas cum Basiliensibus

AD LECTOREM.

liensibus & prioribus Germanicis contulerat. Fuit au-
 tem, cum de dedolendis hisce notis consilium caperem;
 & si fors velificaretur, ad incudem revocarem. Quos-
 dam hic nominatim tangere nolui, aut aliorum operam
 carpere, ut meam commendarem. Αὐτὸ δὲ πρῶτον
 δεῖξαι. Hoc tamen adfirmo, correctoris incuriā quadam
 exhiberi, qua in autographo minus comparuerunt.
 Ea, prout emendanda sunt, ad calcem libri congesi-
 mus. Non hic prolixè commentamur, sed Notas
 quasdam & emendationes concinnamus; breves illas,
 & nostro more modoque factas: magis ut de varietate
 lectionis & fide veri constaret, quam ut abundè hic
 omnia explicarentur. Et in tantum contentus fui, ip-
 sum FRONTINUM representare. Nam, ut dis-
 funderem me, & exempla cum historicis compara-
 rem, non est visum opera pretium. Quod rectius her-
 cle vero facient magistri in ludo & umbra, ne publicè
 τὸ ἀνομίαν ἐκθεατοῦ μὲν necessum habeamus; aut
 cum iis furere, qui nullum amplius librum prodire pa-
 tiuntur, nisi ingentibus commentariis onustum, ὡς αὖ
 ἀρχαῖοι εἶναι ἡμῶν πολλῶν. Eam curam tamen Q. Se-
 reno Sammonico illustrando, brevi polliceor. Vale, &
 quisquis es, nobis veniam propter studium conatum-
 que nostrum repende.

DE